Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8263
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

de duci precepit scribens ei Gervasium
et prothasium iuvenes detrectantes
immolare diis ad te misimus quos
carcerali custodia detine et diis nostris
sacrificare compelle Cumque producti
fuissent Alia die Nero ad portum
maris processit Et statim beatum Naza-
rium cum puero iussit dixitque ad eum
Tante sunt artes tue ut amplius
vivere non debeas Tu gustare deorum
libamina noluisti Tu subvertisti iu-
venes Gervasium et prothasium ne
immolarent diis atque ideo maris pro-
funda te suscipient Nazarius re-
spondit Salvator meus et deus meus
qui me per baptismum dignatus est ipse
in mari et ubique custodiet quia sunt
elementa que sola iussione constituit
Nero dixit Nazario Hunc nefa-
rium cum puero in mari proice ut
a contagione istius terra purgetur Et
continuo elevatis in navicula in
altum naute profecti sunt ut obser-
varentur a terra Et precipitaverunt
Nazarium cum puero Et subito stri-
dentibus ventis commota tempestas
est et periclitantes naute clamave-
runt Penituimus coram domino Nazarii
dum Neronis paruimus imperio Ubi
nunc es Nero et dii tui Quis
nos salvos faciet Mox ab eis Na-
zarius natans visus est Et cum eo
erat summa tranquillitas Admi-
rantes naute clamaverunt Veni et
salva nos per deum tuum qui te in tanta
in tempestate custodit Cumque asce-
disset sanctus Nazarius una cum pu-
ero in naviculam Sedata tempes-
tas est Dixitque Nazarius Credite
quia deus meus verus est qui et co-
minuit maria et commota compescuit
Unde non dii ydola sunt surda et ceca
Responderunt naute Vere nos cognovimus
et scimus quod vana sunt que hic
usque coluimus Dixit eis Nazarius
si creditis custodite vos a malicia

Neronis Responderunt autem etiam Et
catezizavit eos Credentes doctrina
eius profecti sunt gratia dei custodi-
ti Nazarius vero abiit cum Celso pue-
ro Cumque venissent in civitatem Ge-
nuensem puer devenit mortuus
et non ascendebat ei spiritus neque lo-
quebatur Confirmatus autem Nazarius
oravit dicens Domine deus patrum meorum
ostende in si non morietur ut sepeliam
eum in loco hunc Si vero vivit
expectantes expectabo eum Et concite
venit vox dicens Resurget puer
et annunciabit tibi gaudium Circa
horam autem nonam surrexit puer
dicens Ave pater Dixitque illi Naza-
rius Ave Et ubi eras dic Celsus
dixit In loco ubi eram vidi te stan-
tem iuxta pedem regis et loque-
batur tibi de vita inmortali Gau-
dio enim repletus Nazarius osculatus
est caput eius Et puer osculatus est
vestigia eius Manserunt autem nocte
illa intra civitatem et post prandie
surgens ambulavit et venit medio-
lanum inquirens sanctos martires Ger-
vasium et prothasium quos in carcere
invenit pari gratia confirmatos Au-
diens vero Anulinus qui preerat civi-
tati quod predictos viros adhorta-
tione et presencia sua confirmaret ca-
pi eum iussit Scribens Neroni
Virum scelestum qui dicitur Nazarius
inveni fugientem potestatem tuam et
subvertentem eos quos in carcere tenebam
Gervasium et prothasium et parabam
diis nostris immolaturos Accipi-
ens Nero clarione exilivit dicens
Adhuc vivit deorum adversarius Et
ingenti ira exestuans nautas com-
et punire iubet qui vivere Naza-
rium permisissent Et quos cum Cel-
so invenisset misit ad Anulinum
scribens ei Concede tolla eorum vide
Nazarii maleficia Gervasii et prothasii

324